



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

V. De Imbricone Episcopo VVürtzburgensi, & eius lamentatione in
exequiis S. Ottonis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

De Imbricone Episcopo Herbipolensi, &
eius lamentatione in exequiis
S. Othonis.

CAPVT QVINTVM.

SVperuenit quoque sacræ semper memoriæ Imbrico Herbipolensis Episcopus, vir clarus & prudens tam eloquij venustate, quàm ingenio & sapientiâ præpollens. Superuenit, inquam, amicus ad amici exequias inuitas, & dolenti & ardentissimè flenti Ecclesiæ lugendo ipse ac dolendo luctum auxit & dolorem. Iam enim per totum triduum dormitionis eius dilecti corporis gleba per omnes Ecclesias circumlata, iugi sacrificio, indefessisque orationibus, & multis elemosynarum largitionibus beata eius anima Deo dicata & commendata fuerat ab omnibus.

Corpus S. Othonis per omnes Ecclesias circumlatum.

Quarta igitur die, ubi ad locum ventum est tumuli, Episcopus commendationem celebravit, atque inter Missarum solennia, quæ pro dilecti Patris & amici anima multa intentione deuotus agebat, ad mœrentem & lugentem conuersus multitudinem, breuem quidem, sed gratia ac dulcedinis plenum intulit sermonem, ita dicens:

Sermo funebris B. Imbriconis Episcopi Herbipolens. Exstat in edit. Canis. lib. 3. cap. 47.

Et quid fiet? quiderit consilij? Mortua est Martha; ecce ubi iacet. Quis, rogo, venientem Dominum IESUM in hoc castello amodò suscipiet? Equidem defuncta est Martha, qua illum suscipere consuevit. defuncta est hospita Domini IESU Christi, qua venienti hospitium præbuit, sedem posuit, mensam aperuit, necessaria omnia benignè ac liberaliter ministravit. Defuncta est, inquam, non solum ministra & hospita Christi, sed minister & hospes, sed susceptor omnium Christianorum. Et quis stabit in loco sancto eius? quis nobis vicem ministerij huius implebit? quis, rogo, aget pro eo, qua iste age-
re con-

reconsuevit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus personis Ecclesia, vita eius utilis fuit. Ecce defunctus est ut verè dicam seruus seruorum Dei. Quid facietis monachi? quid facietis Clerici? Quid facietis pauperes & mendici? quis vobis restituet matrem vestram? Vbi amodò illa materna vbera, vbi maternos affectus quaretis? sed querere vbiq; potestis; vobis denuncio, nusquam inuenietis. Sui temporis seculo, confidenter dico, hunc solum, hunc unum tanta misericordia virum habuerunt.

Ut enim de aliis virtutibus eius taceam, quae plurima fuerunt, & clara; in misericordia & misericordia operibus tantus erat, ut nullum penitus ex omnibus mihi notis ei ausim adaequare. Sed quid? Doleo vicem miserorum, doleo vicem eorum, qui in suis miseris ad hunc misericordem fugere consueuerant. Doleo, ut verum fatear, vicem meimetipsum: ut enim ita dicam, me miseret mei, meritoq; mærore conturbor. Multum enim praesidij, multum consolationis in hoc amico perdidit. Hic enim in ciuitate ipsa commodus, societate & amicitia opportunus, magnum mihi praesidium fuit. Cum hoc fiducialiter omnes curas meas, omnia negotia mea, seu consilia penitiora communicare solebam. Hic mihi, ut breuiter dixerim, in omnibus opportunitatibus meis maximus subleuator fuit. sed de me quid dico? Nam mei nominis Ordo vniuersus, videlicet Ordo Pontificalis, hoc adempto, compar merito lugebit. Hic nobis gemma, hic decus, hic splendor fuit. Conuentus nostros in Concilijs siue Curijs virtutum suarum radius collustrauit. In hoc, ut ita dicam, quasi viuenti libro, quomodo nobis viuendum; vel, quid agendum esset, conspiciere potuimus. Sancta enim exempla, sancta actiones magis erudiunt, quam verba. Sed doctrina haec, ô dolor, modò rara est in terris. Omnes enim pænè, quot quot sumus, eloquio magis, quam opere proximos edificare studemus, sed iste, docuit verbo, docuit exemplo: dixit & fecit.

y 2 Talem

Virtutes S. Othonis.

Talem ergò lucernam de medio nostri ablatam, aqua mente ferre poterimus? Sed vado ad altiores. Huius enim intuitum & tu, ò Romane Pontifex sanctæ matris Ecclesia senties: & tu regnator Orbis rex Alemania Imperator Romanorum Auguste; casum quoque huius experieris. Ambo permaximi, magna clade multati estis. Magnus enim Ahod ille ambidexter vobis occubuit; occubuit ille, qui utraq; manu pro dextera utebatur Israëlitica gētis ductor egregius: Occubuit, inquam, ille, qui potens erat & industrius, & prona voluntate reddere Cesari, qua Cesaris fuit, & Deo, qua Dei. Non tibi, ò Imperialis maiestas, non tibi citò consurget alia columna, cui tam fiducialiter inniti queas. Hic te quidem non solum diuitiis, & prudentia seculari, sed quod maius est, meritis ac sanctitate suffulsi, sanctitate, inquam, & virtutum meritis, Imperatorem pariter & Imperium subleuauit. Iustitia enim & sanctitas in dextera eius. Non parua res acta est: non parua hæc mutatio in Ecclesia Dei: non ergò leuiter ferenda est talis viri ablatio. Vbi amodò tale ingenium, talem prudentiam, talem inueniemus bonitatem?

Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum spiritualem; detrimenta illorum, lamenta nobis facient. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis & pauperibus, qui ad has manus spectare consueuerant? Lugetis video, & fletis Otronem vestrum, & certè non immeritò. Vobis enim ille occubuit, vobis ablatus est. Vos enim, ò monachi, specialiter populus pascua eius, & oves manus eius. Hic profectò erat, qui de abundantia diuitum huius mundi vestram inopiam supplere sollicitus fuit. Hic magno auctoritatis exemplo gloriari solebat dicens: spoliavit Aegyptios, ditauit Hebraeos. Nam re verè sanctè & religiosè multa à secularibus extorsit: sancta & religiosa fraude, ut ita dicam; diuites circumueniebat, ut elemosinas facerent quandoq; non cogitatas; argumentosus enim

erat

Matth. 22.

erat in lucris diuinis. Nam & manus Domini cum eo erat. LUC. 1.
 O quàm multos diuites cum omnibus diuitiis suis ad spiritua-
 lem vitam traiecit? Quidquid personarum, quidquid rerum
 vel opum seculo auferre potuit, Deo coaptauit, pietatis ac mi-
 sericordia obtentu. Sed, quid multis? Misericordia eius su-
 per omnia opera eius. Misericordia Dei ante oculos eius sem-
 per fuit.

Orate ergò dilectissimi fratres, orate attentius, ut & ipse
 hodie misericordiam consequatur. Orate, ut illa beatissima a-
 nima, quam credidit, quam sperauit, quam dilexit, re ipsa Dei
 misericordiam hodie percipiat. Equidem non surdis auribus
 illud Euangelium accepit: beati misericordes, quoniam ipsi Matth. 5.
 misericordiam consequentur. Et, estote misericordes, sicut & LUC. 6.
 Pater uester misericors est. Nullus autem misericors esse po-
 test, qui humilis non fuerit. Omnis ergò misericors, etiam hu-
 milis est. Vnde, benè inferre possumus, quod veram & coram
 Deo probatā humilitatem habuit spiritus eius, qui tanta mi-
 sericordia fuit.

Interuentu ergò Dei genitricis *MARIAE*, cui semper
 deuotus exstitit; interuentu *B. Michaëlis Archangeli*, cuius
 Ecclesie reparator & sublimator hodie conspicitur, quem pa-
 tronum & seruatorem, & corpori & animæ suæ delegit; in-
 teruentu omnium beatorum spirituum spiritus eius diuinam
 misericordiam consequatur: ipsorum, inquam, atque omnium
 sanctorum suorum, si vsquam, sicut est humana fragilitatis,
 tanta eius opera, tanta ipsius miserationes & benefacta, hu-
 mana laude, vel humana laudis intentione titillata sunt, vel
 maculata; (Nihil enim satis purum coram summo Iu-
 dice:) Rogate, queso, rogate attentius; oremus omnes pari-
 ter, ut hoc abolere, hoc tollere dignetur ipse, qui tollit peccata
 mundi *Agnus Dei, Dominus noster Iesus Christus: qui cum*
Patre & Spiritu sancto viuit in secula seculorum.

*Quis motus
concionem Im-
briconis consu-
catus fuerat.*

Quanta verò vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus & lacrymis omnes Amen responderunt, dici non potest. Sic ergò finita Missa in loco, vbi cernitur, in Ecclesia B. Michaëlis, Comitibus, Marchionibus, seu aliis quibuslibet nobilibus pheretrum eius certatim gestantibus, Sarcophagum leuantibus, seu alia, quæ ibi necessaria erant, more operariorum, suis manibus deuotissimè peragentibus, corpus eius tumulatum est anno Dominicæ incarnationis Millesimo, centesimo, tricesimo nono, tertio Cal. Iulii feliciter. *

** Anno atatis
sue 70. Episco-
patus 37. Et ait
Hoffmannus in
Annal. Bam-
berg.*

Et ne quid de exuuiis vigilantissimi Pastoris deuoto gregi deesset, etiam intestina eius, dum aromatibus condirentur, excisa, & in vnam missa, in medio Capellæ Dei genitricis MARIÆ terræ mandata, & rotundo lapide signata sunt: vt, dum fratres ad celebranda diuinæ seruitutis munia illuc nocte diçque accurrunt, dilecti Patris memoriam præ oculis habeant, & beatissimam eius animam assiduis precibus in alta celorum sustollant.

Imbrico autem beatæ memoriæ Antistes post depositionem pij Othonis, miro affectu Montem S. Michaëlis excolere non desit: qui etiam cum suspiriis intimæ compunctionis attestari solebat, nunquam se tantam exequiarum gloriam vidisse, beatumque populum Babebergensem prædicabat, qui reuera euidentibus rerum indiciis in transitu pastoris sui approbassent, quàm flagrantissimo amore viuenti iugiter inhæsisent.

Depuero infirmo sanato.

CAPVT SEXTVM.



O tempore puer quidam decennis, nomine Otto, in loco Babebergensi, dudum à parentibus studiis liberalibus traditus, graui ægritudine pressus decumbebat: iamque per triduum morienti simillimus, absque motu & voce remanserat: Sed & religiosi fratres nostri Burkardus, Godescalcus, & Albero à matre eius euocati descenderant, vt debitum funeris officium puero migranti peragerent.

Mater